

www.e-rara.ch

Synopsis festalium concionum

Musculus, Wolfgang

Basileae, 1595

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7234>

In festo annunciationis

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IN FESTO ANNUN- CIATIONIS.

L V C A E, I.

In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilee, cui nomen Nazareth, & c.



ESTVM hoc Christi est, nō minùs quàm natiuitatis, cōceptio-
nis nimirum vel incarnationis.

Dispositio historiae.

Membra huius historiæ sunt quinque, quorum hic est ordo:

- I. Quomodo sit angelus à Deo missus ad virginē desponsatā in ciuitatem Nazareth.
- II. Quomodo virginem salutauerit angelus.
- III. Quomodo illa ad angeli ingressum ac verba sit consternata, & quomodo eam angelus consolatus sit, & partum futurū annunciauerit.
- IV. Quomodo insolentiam cōceptus admirata sit virgo, angelus verò omnipotentiae Dei argumento, & exemplo Elizabethæ verbis suis fidem asseruerit.
- V. Quomodo assenserit virgo in verba angeli.

I.

Missio Angeli.

In mense autem sexto missus est Angelus Ga-

brief.) Missionis huius narratio ita plana est ac plena, ut nihil in ea desiderari queat. Quis sit missus, à quo, quando, quò, ad quam, nempe virginem: quam? Mariam. qualem? Viro desponsam. Cui viro? Iosepho. de qua stirpe ac domo: de domo Davidis.

Quid hic notandum.

Quidam hic, quasi à secretis Dei olim fuerint, non còtenti narratione Euangelistæ, qui dicit, angelum Gabrielem esse à Deo missum, scribunt etiam, quomodo is ab vnaquaque almæ Trinitatis persona singillatim mandatum, & quibus verbis acceperit salutandi virginē: Multi & ingeniosi in illis quæ Euangelista non scribit, & quæ parum ad causam faciunt, multi verò in verbis Euangelistæ & causa quæ agitur explicanda. Sunt igitur hæc potius consideranda.

Primum quare oportuerit mitti angelum, & quæ gerebantur, virgini indicari, cum tamen præter conscientiam eius potuerint perfici, & ipsa fieri mater Christi. Factum est id, primum quia partus insolens futurus erat. Deinde quia fides requirebatur virginis. Non enim hoc solum quærit Deus, ut opus suum utrunq;

per-

DE CONCEPTIONE CHRISTI. 3

perficiat, sed vt illud cum salute quoque eorum, quibus vtitur, perficiat. Ad hoc opus erat fide virginis, vt beata esset non propter partum, sed propter fidem, iuxta verba Elizabethæ; Beata quæ credidisti.

2. Quare ad virginem missus angelus. Quia oportuit puram esse saluatoris conceptionem, qui populum suum erat liberaturus à peccatis suis. Id enim fieri non potuisset, si & ipse natiuitatis peccatrice, quæ sit vulgariter ex viri semine, particeps atq; adeò pollutus fuisset. Quod autem immūda esset ea natiuitas quæ fieret ex virili semine, ipsa masculini membri circūcisio declarabat. Adam enim peccauerat, non Eua. Hoc est, ipsa transgressio, vnde in omnes homines peccatum & mors deriuarunt, Adæ, videlicet ipsi capiti, adscribitur, nō Euæ. Atq; adeo immunus est, quisquis ex ista radice per mediū virilis seminis nascitur, atq; adeo peccatis obnoxius, & filius iræ. Hinc Paulus dicit: Nascimur omnes naturā filij iræ. Ephes. 2. Et Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Deinde, vt esset nihilominus verus homo, & semen mulieris, & benedictum illud semen Abrahæ &

4 DE CONCEPTIONE CHRISTI.

Dauidis; caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris, & esset quod pro peccatrice carne nostra offerretur, oportuit illū nasci ex homine, sed virgine.

3. Quare ad maritatem. Expendit hoc diligenter Ambrosius lib. 2. cap. 1. Expositionis in Lucam. Oportebat nimirum caueri scortationis probum & suspicionem. Si enim quia maritum habens peperit, ludæi de Christo dixerunt: Nonne hic est filius Iosephi: quantò magis si maritum non habens peperisset, dicturi fuerāt: Nonne hic est Iesus filius meretricis? Vt enim maritalis cōceptio intelligitur, si maritata grauida appareat: ita si innupta gestet vterum, & pariat, illegitima & suspecta redditur conceptio. Maluit ergo Deus, vt hæc virgo maritalis conceptionis, quàm meretriciæ & illegitimæ suspicionem incurreret. Admonemur ergo hoc exemplo, satius esse vt veritas ad tempus lateat, quàm vt occasio offendi- culi per speciem mali detur. Melius est in statu esse legitimo, quàm extra hunc probri notam incurrere. At hodie Papi- stæ malunt suis scortationibus & vaga libidine Christianum nomen probrosum reddere, quàm statum matrimonij lici-
tum,

tum, legitimū, à Deo positum vsurpare.

4. Quòd magnum hoc opus initium sumit in loco isto obscuro, obscure regionis Galileæ: Vnde Nathanaël. A Nazareth potest aliquid boni esse? Iohan. 1. & Ioh. 7. Scrutare scripturas & vide, quia à Galilea propheta non surgit.

II.

Salutatio Angeli.

Et ingressus Angelus ad eam dixit. Salve gratiosa, Dominus tecum, Benedicta tu inter mulieres,

Salutatio quatuor habet membra.

1. Χαῖρε, id est, Salve, vel gaude: Evangelium.

2. Κεχαρισμένην.) quam dictionem quidam vertūt gratiosam, quidam grati plenam. Verū Græcè docti satis vidēt quid dicat angelus. Idē est ac si dicas, *du begnadete*. Atque hoc angelus ipse exponit, videns virginem turbatam ad istam salutationem, vbi dicit: Noli timere Maria, nacta es enim gratiam apud Dominū. q. d. Nihil moueat ac turbet, quòd te gratiosam voco. Reperisti enim gratiam apud Dominum. Sic Eph. 1. inquit Apostolus.

6 DE CONCEPTIONE CHRISTI.

ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Ergo Christiani omnes sunt κεχαριτωμένοι per gratiam Christi.

3. *Dominus tecum.*) quasi expositio est præteritæ appellationis. Sic ad Gedeonem quoque dicebat angelus. Dominus tecum virorum fortissime. Iudic. 6.

4. *Benedicta tu inter mulieres.*) Hoc spectat ad fœlicitatem fœcunditatis. Nam benedictio mulieris inter mulieres, est prolis fœcunditas. Ita dicebat Lia, Genes. 30. cum ex ancilla susceperet quintum filium Aser: Beatam me dicent omnes mulieres. Si qualemcunque filium parere benedictionis est nota, quid est tandē Christum filium Dei parere?

Errores Pontificiorum.

I. Quòd ex ista salutatione fecerunt precationem idololatricā. Nec ad rem facit excusatio Eccij, de more mendicorum sumpta, qui non semper apertis verbis, sed aliquando laudando, aliquando canendo, aliquando querulando, & vulnera, & vlcera ostendendo mendicent. Hæc enim omnia nō ad virginē, quæ non est inuocanda, sed ad Deū pertinent. Hæc verò salutatio ad virginem pertinet.

2. Deinde vt est peculiaris, ita ad factum

Etum quod gerebatur, peculiariter pertinet: vnde nunc nulla amplius est eius ratio, nullus locus.

3. Nec ista salutandi modus competit nisi in hac vita existentibus. Declarandū hīc quæ sit salutandi ratio. Vnde apparet stultitia Eccij, qui ex eo quòd Apostolus Rom. 16. iubet ciuem Romanam Mariam salutare, salutādam potius esse istam Mariam contendit. Illa erat in viuis, ista iam apud superos, apud quos hic salutandi ritus ac mos locum non habet.

II. Quod expositionē verborum torserunt, in eo quod legunt; gratia plena. Eccius triplicem plenitudinem gratiæ facit. 1. Sanctorum quæ nō fluat, non benè conueniens suis complicibus. Hanc confert pateræ. *Einer schalen.* 2. Mariæ quæ fluat quasi canalis, verū plenitudinem non habeat ex seipsa, sed ex fonte aliquo. 3. Quæ fluat, & in se venam viuam habeat, quæ sit Christi: iuxta illud Ioh. 1. de plenitudine eius omnes accepimus. Hinc docuerunt inuocandam esse beatam virginem, & querendam per eam cœlestem gratiam. Huc adducit Eccius locum ex Ecclesiast. cap. 24. qui locus nō ad b. virginem, sed ad diuinā sapientiam

8 DE CONCEPTIONE CHRISTI,

pertinet. Taxandum hîc etiam illud consuetum apud Papistas: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe.

III. Eidololatriam quoq; sapit & hoc, quòd in genua procidunt ad istam salutationem plus quàm ad orationem Dominicam. Eccius putat angelum quoq; genua flexisse, cùm salutarer illam. Imò credibile dicit Christum quoque, cùm assumeretur beata virgo in cœlos, illi occurrisset, iuxta figuram Salomonis. 1. Reg. 2. Verùm meritò honorauit matrem Salomon: quia per ipsam euectus erat ad regnum. Deinde non impetrauit petitionē mater. Imò malè cessit Adoniæ.

III.

Consternatio Virginis.

Illà verò, cùm vidisset, turbata est super oratione eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.

Evangelistæ Lucæ, vt & Matthæo, cura est de asserēda & approbanda Mariæ virginitate. Nam ea ad causam hanc incarnationis Christi necessaria erat. Id eo nō satis habet bis virginem nominasse,

se, nisi & mores incorruptæ virginis, virgineum pudorem referentes, exprimat: quos declarauerit illa ad ingressum & salutationem angeli, quem virum aliquem arbitrabatur: ideoque viso illo, & audita tam insolenti salutatione, quæ amatoriū quiddam resiperet in verbis, & blandiusculum, perturbata sit, & hæsitabūda red-dita. Vnde & Ambrosius, mentem Evangelistæ obseruans, scripsit: Disce virginem moribus, disce verecundia: Trepidare virgineum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Deploranda hîc corruptio fœminei pudoris, idque in virginibus quoque, quæ tam abest, vt viriles affatus horreant, vt illos etiam vltro alliciant.

Consolatio virginis, & declaratio
salutationis.

*Et angelus ei dicit, Ne timeas Maria,
Reperisti enim gratiam apud Deum.
Ecce concipies in utero, & paries fi-
lium, ac vocabis nomen eius Iesum. Is
erit magnus, & filius altissimi vocabi-
tur. Et dabit illi Dominus Deus sedem
David patris ipsius, regnabitq; super.*

domum iacob in aeternum, & regni eius non erit finis.

PER expositionem salutationis consolatur virginem, adimens ex corde illius perturbationem & hæitationem, quã ex ingressu velut viri, & salutatione insueta & blanda cõceperat. Et primùm iubet omnem metum ponere, indicans nihil esse periculi, cuius gratia metuere debeat. Et velut huius rationem redditurus, statim subinfert; Inuenisti enim gratiam apud Deum: transferens id, quod metuebat virgo, in Deum, ostendens quẽ nihil hĩc geri humanum, nihil libidinosum, sed omnia esse diuina, adesse se nuncium & pronubum nõ hominis alicuius, sed Dei, annunciare se gratiam nõ alicuius libidinosi amatoris, sed castissimi Dei. Itaq; quæ hĩc recenset angelus, omnia ad hoc pertinent, vt præmissam salutationẽ exponant, & mentem virginis pacatam reddant. Dixerat in salutatione, Ave gratiosa, Dominus tecum: quibus verbis innuerat illam beneuolum habere Dominũ, apprimẽ placere Domino, potiri gratia & fauore Domini. Id per hanc particulam exponit, cùm dicit:

Inueni-

DE CONCEPTIONE CHRISTI. II

Inuenisti enim gratiam apud Deum:) exponit de quo Domino sit in salutatione loquutus. Quod verò dicit, *Inuenisti gratiam*, idem est, atq; *naſta es beneuolum Deum*. Est enim in ſcripturis vulgatiffima iſta loquutio, inuenire gratiam in aliquius oculis, pro reperire & nanciſci gratuitum ac ſingularem fauorem. Sic Heſter apud Aſſuerum, & Iudith apud Holofernem gratiã reperiffe legũtur. Et Deut. 24. Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & illa non inuenerit gratiam ante oculos eius. Hic nihil eſt meritorum, ſed omnia ſunt d. & gratuita gratiæ. Et hic videmus quid illud ſit in ſalutatione *χαριτωμένη*, id eſt, gratioſa reddita, vel gratificata; ſi ita dicere liceret. Ridicula eſt eorum expoſitio, qui ex verbo inueniendi philoſophantur, ſi inuenit gratiam, ergo deperditam antea inuenit.

Deinde, ad id quod dixit: *Benedicta tu inter mulieres*, (quibus verbis ſingularis cuiuſdam ſœcunditatis benedictionem annunciauerat) pertinet quod ſubiungit. *Ecce cõcipies in vtero, & paries filiũ, &c.* quibus futuri partus rationem explicat. Non dicit concipies in corde, in animo, &c. ſed in vtero, & paries filium. Conce-

ptus vterinus conuincit Christum vterino partu natum, adeoque naturalem esse filium virginis, carnem de carne eius, & os de ossibus eius. Nasci filium è muliere, est de carne eius nasci. Natiuitas hæc con substantialis est. Res nostra hic agitur vt credamus Christum verè carnem nostram suscepisse.

Et vocabis nomen eius Iesum.) id est, Saluator. Infra. 2. Quod vocatum est ab angelo, antequam conciperetur in vtero. Ab angelo vocandum erat hoc nomen, ne si parentum imponeretur arbitrio, præsumptio magis humana, quàm dispositio diuina videretur. Et vocandum erat antequam conciperetur. Nam non quia talis natus est, hoc nominis accepit, sed quia talis à patre destinatus erat, hoc nomen accepit. De nomine Iesu, vide plura in commentarijs nostris super Matth. cap. 1.

Et erit magnus.) Non de substantiali & essentiali magnitudine & amplitudine eius loquitur, sed de existimatione & nominis gloria.

Et filius altissimi vocabitur.) Exponit seipsum angelus, de qua magnitudine dixerit. Ideo non dicit, Et filius altissimi erit, sed vocabitur: hoc est, cognoscetur, & præ-

prædicabitur filius altissimi. Et de Iohanne dictum est: Et erit magnus: verum non est subiectum; & filius altissimi vocabitur. Et quoniam, quod in vtero ipsa cōceptura erat, filius altissimi vocabitur, sequitur virginem ab altissimo imprægnandam.

Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui.) Apertiùs exponit quis futurus sit, nempe promissus Christus. & filius Davidis. Quomodo autem filius Davidis, si non ex carne Davidis? Sedes Davidis verò, est regnum in populo Dei. Ideo subdit, & regnabit in domo Iacob. Sed quale regnū, qualis rex? id declarat cum addit, Et regni eius non erit finis: Ergo æternum, ergo cœlestē est.

Itaq; meritò inter mulieres benedicta est hæc virgo quæ absque virili semine, Deo imprægnata, filium altissimi, saluatorem Mundi, & Regem sempiternū peperit. Si enim benedicta in scripturis dicitur, quæ fœcunditate sua, genus humanum miserū illud, auctius reddidit, quanto iustius benedicta est, quæ generis humani Redemptorem genuit?

I V.

Admiratio virginis, ob concipiendi modum insolitum.

Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud: quandoquidem virum non cognosco?

Videbatur insolens, concipere qualem & quantumcunq; filium, cum virum nō cognosceret. Ambrosius legit, non cognoui. Nam angelus iam instantem conceptionem annunciabat Non autem dicit, Non cognoscam, sed non cognosco. Licet enim despōsata esset, nondum tamen aderat tempus nuptiarum.

Laboratur hic, quomodo ab incredulitate defendatur virgo. Verūm nihil est scrupī, si pensitetur consilium Spiritus S: quo factum est, vt hoc pacto admiraretur virgo insolentiam huius conceptionis, cuius nullum præcesserat exemplū, conscientiamq; virginitatis suæ declararet, idq; corde simplici & veraci, vt quæ coram angelo Dei loqueretur: quod ad hoc facit, vt constet Iesum hunc statim in Maria conceptum, ex nullo viri congressu conceptum esse, sed ex spiritu Dei.

Respon-

Responsio Angeli, suorumq; dictorum confirmatio.

Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.

ECce quæ utilitas interrogatiōis virginis. Causam dedit angelo declarandi modū conceptionis huius, id quod nobis summopere necessarium erat. Tale erat & quod Ioseph hæsitabat Matth. i. vii de causa dabatur mittendi angelum, exponendiq; modum & rationem imprægnatæ virginis. Ita & Apostolorum hæsitatio in resurrectione Christi credenda, nobis plurimū profuit. Hoc scilicet voluit consilium d. prouidentia, vt isti articuli principales nostræ fidei, redderentur cōfirmatiores, nec viderentur temeraria quadam credulitate assumpti.

Spiritus sanctus superueniet in te.) q. d. Hic erit vir tuus, hic te imprægnabit: res geretur non humana, sed diuina virtute. Et huc etiam quadrat commodum nomen angeli, Gabriel, quod sonat virtutē Dei.

Quod nascetur sanctum.) Ecce Christus etiam homo, ex virgine natus, filius Dei est. Vnde? Quia ex Spiritu sancto conceptus. Quemadmodum meritò filius ho-

16 DE CONCEPTIONE CHRISTI.
minis dicitur, qui ex hominis semine nascitur.

Et ecce Elisabeth.) Ab exemplo confirmat fidem virginis. Deinde & sententiā catholicam, huius gratia adiungit. Non est impossibile apud Deum quodcunq; verbum.


V.

Affensio virginis in verba
Angeli.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

HÆc verba duo habent. Primum assensum ad voluntatem Domini. Offert enim se paratam Domino. Deinde adiungit humilitatem, quod se vocat non matrem, sed ancillam Domini. Submittit se his verbis nutui Dei. Non dicit, Ecce ancilla tua, sed Domini. Nec dicit, fiat mihi secundum voluntatē tuam, sed secundum verbum tuum. Discernit pulchrè inter dominum & ministrum. Domini sese volūtati subijcit, Angeli verò verbum amplectitur. Erat enim verbum Dei. Hoc & nobis præstandum. Notandum etiam hīc ingenium huius obedientiæ. Non disputat quid huius con-

conceptionis & partus gratia sibi futurum sit: non rogat quomodo fidem illius sit factura, cum sponso suo Iosepho, tum reliquis mortalibus, sed simpliciter verbo angeli assentitur; & Domini sese voluntati morigeram offert.



IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

IOAN. I.

Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate, &c.

I.

Vnde carnem assumpserit.

RINCIPIO Matthæus originē carnis Christi, ducit ex Abrahamo & Dauide, quibus præ alijs facta erat seminis huius promissio. Rom. 1. Qui factus est ei ex semine Davidis. Et cap. 9. Quorum sunt patres, ex quibus est Christus secundum carnē. Voluit Deus originem carnis filij sui multis

B